



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio XXIV. De prædestinatione Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

18. Licet natura humana sit extranea, non sufficit ut dici possit adoptata.

Quam certa sit praesentis dubij resolutio.

19.

Opinio Vasquez

humanam secundum se esse extraneam & gratuito Dei dono unitam Verbo: dico tamen id non sufficere ut censeatur possit adoptata. 1. quia adoptio non convenit naturae ut termino adoptionis. 2. ut possit illi tribui, ad hoc requiritur ut post unionem remaneat extranea; quod de humanitate Christi dici nequit, cum per gratiam unionis hypostaticae enehatur ad unitatem personae cum Verbo, & proinde non remaneat extranea Deo. Vltimus dico Christi humanitatem in nullo priori naturae extitisse non unitam Verbo; cum existimem nullam aliam unionem intercessisse inter humanam naturam & Verbum praeter eas quae intercesserunt inter partes humanitatis & Verbum.

Constituto secundum communem sententiam quod Christus etiam secundum quod homo non sit Filius Dei adoptivus, sed naturalis, quaeritur quam certa sit ea Scholasticorum sententia: agendo scilicet de adoptione in sensu Scholasticorum, & supposita personae unitate.

Vasquez disp. 89. cap. 6. censet ita esse certam ut opposita sit haeretica & damnata à Conc. Franciscordensi, quando damnatus est error Elipandis, quod varie conatur ostendere cap. 8. & 9. docetque Elipandum damnatum non quod diuideret in Christo personas, sed quod sentiret etiam in una persona Christum esse Filium Dei adoptivum in quantum est homo.

Porro Elipandum non sensisse cum Nestorio ex eo conijcit quod Carolus Magnus principem Catholicum per litteras sollicitavit ut conuocato Concilio sententia de adoptione Christi approbaretur: quod nullo modo ausus fuisset facere, si Nestorianam haeresim fouisset. 2. quod Patres Concilij longe aliter egissent contra illum si fuisset Nestorianus. 3. quod Patres & Pontifex non adducant testimonia ad probandam personae unitatem. 4. idem ostendit ex confessione Elipandis.

Haec Christus ut homo est Filius Dei adoptivus, tantum damnata est in sensu Nestorij.

Communius alij negant, dicentes solum damnatam fuisse illam propositionem, *Christus ut homo est Filius Dei adoptivus*, in sensu Nestorij, seu cum personarum diuisione; & quod Elipandus haeresim Nestorianam docuerit, licet latenter & sub alienis verbis, quod ex pluribus historicis ostenditur à recentioribus; qui id etiam ostendunt ex epistola Adriani & Concilij. videri possunt Suarez disp. 49. sect. 3. & Lorca disp. 84. qui id doctè ostendunt & argumenta Vasquez dissolunt.

QUESTIO XXIV.

De praedestinatione Christi.

ARTICVLVS I.

Utrum Christo conueniat praedestinationem esse?

I.

Resp. affir.

Quid praedestinatio.

NOTANDVM S. Thom. hic simpliciter proponere num Christo conueniat esse praedestinatum; seu, utrum in genere dici possit Christum praedestinatum, non explicando praedestinationis terminum. ad quam quaestionem

Respondet affirmatiue: quod ut probet, praemittit praedestinationem esse diuinam quandam praedestinationem ab aeterno, de his quae per gratiam Dei faciendae sunt in tempore. Nam praede-

stinatio, quae est pars prouidentiae, ut patet ex eodem S. Thom. 1. parte q. 23. est respectu operum gratiae, hoc praemisso

Prob. conclusio S. Thom. vniu duarum naturarum inter se in Christo est maximum Dei donum, & maxima gratia ex libera Dei voluntate procedens; igitur id ab aeterno est praedestinatum & praedestinatum; ergo & Christus est praedestinatus. Posterior consequens prob. praedestinata unione debet censeari praedestinatus terminus ex huiusmodi unione resultans; qui terminus est Christus, qui est compositum ex natura diuina & humana & substantia Verbi. Conf. hoc compositum non fuit ab aeterno, sed per liberam Dei voluntatem incepit in tempore.

Ex discursu factio patet 1. S. Thom. praesentia articulo concludere Christo conuenire esse praedestinatum quoad esse seu existere: quamuis in solutionibus argumentorum quaedam misceat quae ad alias praedestinationes pertineant.

Patet 2. Christum absolute dici posse esse praedestinatum ad esse: quamuis enim ipsum suppositum Christi non fuerit praedestinatum ad esse, seu ut reciperet existentiam, utpote aeternum & necessarium; tamen compositum ipsum ex natura diuina & humana non est aeternum, sed incepit esse in tempore: nomen autem *Christus* optime sumi potest pro huiusmodi composito, & reipsa sumitur in hac propositione, *Christo conuenit esse praedestinatum*; cum sumatur formaliter, quia actus mentis respiciens aliquem terminum facit ut talis terminus optime possit formaliter accipi.

Patet 3. idem esse obiectum & terminum praedestinationis quia aliquid praedestinatur ut sit, ipsum scilicet existere rei.

Quaeri potest an sicut dici potest, *Christus est praedestinatus*; ita dici possit, *Filius Dei est praedestinatus* seu, *Verbum diuinum est praedestinatum*?

Resp. negatiue, quia per talem propositionem designatur quod sit praedestinatum ut Filius Dei sit, seu habeat esse; quod falsum est, cum secunda Trinitatis persona non sit neque habeat esse per liberam Dei voluntatem & praedestinationem, sed per eternam generationem. Conf. esse est Filio Dei necessarium & essentiale, unde non cadit sub praedestinationem.

D V B I V M I.

Utrum dici possit Verbum vel Filius Dei praedestinatus ut sit homo?

DVPLEX est hac de re sententia. Prior negat. Durand. dist. 7. q. 3. Becanus cap. 19. q. 1. concl. 3. & alij.

Posterior asserit, ita plures quos citat Vasq. disput. 92. cap. 3. quos sequitur Suarez disp. 50. sect. 1. concl. 4.

Questio videtur esse de nomine: constat enim Filium Dei nullo modo subiectum esse diuinae gubernationi, nullamque ei factam fuisse gratiam per hoc quod natura humana illi fuerit copulata: unde nullo modo dici debet praedestinatus ad hoc ut esset homo, si hac ad rationem praedestinationis requirantur. Potest verò dici si non requirantur, sed ad hoc ut aliquid dicatur praedestinatum, sufficit ut in tempore ex libera Dei voluntate acquiratur nouus terminus ordinis supernaturalis, qui uniat subiecto quod dicitur praedestinari, etiam si nulla per hoc gratia fiat ei quod dicitur praedestinari.

Quia

Quia verò iuxta communem conceptum prædestinationis videtur illo nomine significari prædestinatum ordinari ad aliquod beneficium recipiendum, prior sententia videtur magis amplectenda.

Conf. cum prædestinatio sit pars diuinæ providentiæ, subiectum prædestinationis videtur subijci diuinæ providentiæ & gubernationi, cui non subijciatur Filius Dei.

Notandum tamen dici posse prædestinatum esse ut Filius Dei esset homo, & ut fieret homo; quia per similem propositionem non designatur Filium esse subiectum prædestinationis, sed prædestinari unionem humanæ naturæ cum illo, ex qua resultet Deus homo & homo-Deus. Conf. Filius Dei in tempore factus est homo; ergo ab æterno est prædestinatus ut esset homo.

D V B I V M II.

Utrum Christus possit dici prædestinatus ad gloriam & alia dona gratiæ?

NEGANT aliqui. Alij probabilius affirmant; quia hæc dona gratiæ liberè à Deo in tempore sunt concessa Christi humanitati; igitur nihil obstat quo minus Christus dici possit ad hæc prædestinatus, cum illi ut subsistenti in natura humana ex gratia sint concessa. Hinc dici potest prædestinatus, ut esset caput Ecclesiæ, ut esset iudex viuorum & mortuorum, &c.

Dices 1. hæc & similia non sunt id quod est supremum in Christo.

Resp. id non obstat; inde enim solum sequitur non esse primum terminum prædestinationis, non verò non posse vllō modo dici terminum prædestinationis, cum aliquid non desinat esse donum gratuitum ex eo quod non sit supremum & perfectissimum quod in aliquo reperitur.

Dices 2. illa erant debita Christo ratione unionis hypostaticæ naturæ humanæ cum Verbo.

Resp. hoc debitum solum fuisse morale; quod non obstat quod minus dici possint prædestinatus, & similiter Christus ad illa prædestinatus.

Ex dictis sequitur huiusmodi dona non solum in radice censei prædestinata, scilicet in vnione hypostatica, quam sequebantur tanquam morales proprietates; sed etiam in seipsis. facile etiam apparet horum prædestinationem in Christo non esse primariam, sed secundariam.

Petes 1. an natura humana in Christo dici possit prædestinata ad gloriam? Resp. negatiue. quia prædestinari ad gloriam est dirigi in salutem & ad claritatem Dei contemplationem, & per consequens ad actionem; id autem est suppositi; & proinde ipsum suppositum est quod prædestinatur ad gloriam, non verò natura, quamuis suppositum non nisi ratione naturæ prædestinetur.

Petes 2. an Filius Dei dici possit prædestinari ad gloriam?

Suppono non debere ita dici, si subsit periculum Arianiismi, & quod ex tali modo loquendi oriretur suspicio quod Filius in propria natura esset minor Patri, & quod ex dono eiusdem gratuito gloriam & beatitudinem consequeretur. Si absit periculum, quibusdam videtur posse dici saltem per communicationem idiomatum & virtute syllogismi expositiorij: Hic homo prædestinatus est ad gloriam; hic homo est Filius Dei; ergo Filius Dei prædestinatus est ad gloriam.

Alijs videtur negandum: inter quos videtur quaestio de nomine. Constat enim nullam gratiam fieri Filio Dei, quod in natura sibi vnita recipiat gloriam & alia gratiæ dona, & proinde non potest dici hac ratione prædestinatus.

2. Si prædestinatio solum dicat destinationem & præfinitionem alicuius ad aliud, Filius Dei dici potest prædestinatus ad gloriam.

3. Si Filius Dei sumatur materialiter, dici potest prædestinatus ad gloriam; quia suppositum Filij Dei subsistens in natura humana ordinatur ad gloriam ratione illius naturæ: quia tamen in simili propositione ille terminus *Filius Dei* videtur magis propriè sumi formaliter, ut in simili diximus in explicatione articuli de subiecto huius propositionis; *Christus est prædestinatus*; ideo probabilius videtur quod in rigore dici non possit Filium Dei prædestinari ad gloriam.

Ad syllogismum expositiorij Resp. negando consequ. quia ab acceptione materiali illius termini, *Filius Dei*, in minori; transitur ad formalem in consequente, & ita sunt quatuor termini.

D V B I V M III.

Utrum natura dici possit prædestinata ad unionem hypostaticam?

RESP. breuiter posse. tenet Scotus dist. 7. q. 3. & plures alij tam antiquiores quam recentiores, quibus consentit S. Thom. distinct. 10. q. 3. quaestiuicula 1.

Colligitur ex August. lib. de prædestinatione sanctorum cap. 15. *Prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa & summa subiectio, ut quod alijs attolleretur non haberet.*

Ratio est quod hæc vnio sit maximum Dei donum naturæ humanæ in tempore collatum, ad quod proinde recipiendum natura humana dici potest ab æterno prædestinata.

Dices prædestinari non conuenit naturæ, sed personæ; ergo natura humana non potest dici prædestinari ad vnionem hypostaticam. ita videtur ratiocinari S. Thom. hic ad 2. si solutio conferatur cum argumento.

Resp. negando antec. vniuersaliter acceptum: quamuis enim prædestinari ad operationem non conueniat naturæ sed supposito, potest tamen conuenire naturæ prædestinari ad vnionem, quæ neque est actio, neque actionis principium: quemadmodum enim in tempore ipsa natura vnitur, & ex vnione sui cum Verbo maximam recipit gratiam: ita potest dici ab æterno ad illam vnionem prædestinata.

Quidquid sit de solutione illa secundi quam varij variè explicant, est quæ satis difficilis, S. Thomas aperit nobiscum sentit in 3. loco citato.

ARTICVLVS II.

Utrum hæc sit falsa, Christus secundum quod homo, est prædestinatus esse Filius Dei?

RESPONDET negatiue; ex eo quod natura humana in Christo ex Dei dono vnita sit Dei Filio; ergo ratione naturæ humanæ conuenit Christo

Videtur
quaestio de
nomine.

10.

Et melius
negatur.

Resp. affir.
Scot.
Gabriel.
S. Thom.
11.

Aug.

Obiectio.

Soluitur.

12.
Licet non
conueniat
naturæ præ-
destinari ad
operationem;
conuenit
tamen præ-
destinari
ad vnionem.

Resp. neg.

Christo

13.

Christo praedestinari; ergo eidem conuenit secundum quod homo; & proinde dicendum quod Christus secundum quod homo sit praedestinatus esse Filius Dei, haec est summa discursus S. Tho.

D V B I V M.

Vtrum dici possit, Christus praedestinatus esse Filius Dei?

Occasio
quaestio-
nis
Rom. 1.

Hic quaestioni videntur occasionem praebuisse verba Apostoli ad Rom. 1. *Paulus seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui praedestinatus est Filius Dei in virtute, secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri.* Propter quem locum varij censent hanc propositionem, *Christus, vel hic homo est praedestinatus ut sit Filius Dei*, esse veram etiam in rigore scholastico. Verum antequam ad rem ipsam accedamus

14.

Varie sen-
tentia de
sensu loci
Rom. 1.
Prima ex-
positio.

Aduerte de sensu Apostoli varias esse tum sanctorum Patrum, tum Doctorum sententias, & praedictum locum varie explicari.

Chrys.
Theodor.
Damas.

1. Sententia explicat, *qui praedestinatus est*, qui declaratus est; ut sit sensus, qui ex virtute & potentia patrandi miracula, remittendi peccata, & dandi spiritum sanctificationis, & qua seipsum a mortuis suscitauit, est declaratus Filius Dei. Hoc modo legunt Chrysost. in homil. 1. ad Rom. Theodoretus ibid. Damasc. lib. 4. de fide cap. 19. & varij Patres graeci; quorum sententiam sequitur Tolet. in caput 1. citatum ad Roman. annotatione 9. in fine. Etsi in cap. 1. citatum ad Rom. eamque maxime probat Vazq. disp. 90. cap. 1. quae sententia est facilis & valde conformis textui Apostoli; cum in graeco habeatur *oedoxeros*, quod optime verti potest, *declarati, agniti*, ut vertit Syrus. Iuxta hanc explicationem nullum ex verbis Apostoli sumitur argumentum pro assertionem propositionis, de qua praefens dubium instituitur.

Versio Sy-
riaca.

15.
2. Expositio.

2. Sententia retinens vocem, *praedestinatus*, ita explicat, ut in se conueniat cum praecedenti; nam ault per sententiam Apostoli solum significari Christum praedestinatum ut sit Filius Dei, id est, ut exterius talis declararetur, scilicet ex miraculis, potestate remittendi peccata, ex resurrectione tum sua, tum aliorum resurrectione; ut sit sensus, qui praedestinatus seu praefinitus est exterius esse Filius Dei; id est, qui est declaratus: quae explicatio nullo modo censeri debet cōtorta, cum in Scriptura res interdum dicatur fieri quando manifestatur, ut Apoc. 5. *Dignus est Agnus accipere dimitatem.* videri potest Ambros. in cap. 1. ad Rom. qui in sententia citata laudat vocem *manifestari*, dum ita exponit. *Hic ergo qui incarnatus, quod esset latebat, tunc praedestinatus est secundum spiritum sanctificationis in virtute manifestari Filius Dei, cum resurgit a mortuis.* videri etiam potest Dur. dist. 7. q. 3. ad 1. Palud. eadem dist. q. 3. ad 1. Iuxta hanc etiam explicationem nullum sumitur fundamentum pro praesenti dubio.

Apoc. 5.
Ambros.

Durand.
Palud.

3. Expositio.

3. Sententia retinens vim participij, *praedestinatus*, ita explicat ut praepositio non designet antecessorem temporis, sed ordinem quandam, quasi dicas, qui factus est ei ex semine Dauid, qui quae praedestinatus, & praeter alijs monstratus est esse Filius Dei ex virtute &c. cum antea lateret. Plures expositiones praetereo, quae videri possunt apud Suarem

disp. 50. sect. 2. Cornelium in locum citatum ad Rom. Vazquez supra, & alios.

16.

Satis communis expositio Scholasticorum est participium *praedestinatus* designare antecessorem multorum temporis, secundum quam Christus vel homo in mente diuina fuit praedestinatus, ut esset Filius Dei; quam videtur amplecti August. varijs locis, lib. 12. de Trinitate cap. 6. de praedestinatione Sanctorum cap. 15. de bono perseverantia cap. vlt. & tractatu 105. in Ioannem. quae explicatio videtur satis dura & minus conformis textui Apostoli. nam, ut ex eo videtur patere, particulam, *qui praedestinatus est*, Apostolus refert ad illa verba, *de Filio suo*, atque adeo iuxta illam explicationem, Filius Dei dici posset praedestinatus Filius Dei.

Obiectio.

Dices relatiuum, *qui, refertur Filium Dei*, non formaliter & quatenus est Filius Dei, sed materialiter, id est, refertur hunc hominem qui est Filius Dei; quod indicatur illis verbis, *qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.*

Resp.

Resp. refertur sub nomine & conceptu Filij Dei, ut patet ex contextu Apostoli; secundum quem conceptum non potest dici praedestinatus ut sit Filius Dei.

Confirm.

Confir. ex graeco, ubi sine relatio vox quam non ster vertit *praedestinatus* construitur in eodem casu cum Filio Dei; ita ut in plano sensu Apostoli nihil aliud videatur velle, quam se segregatum ad annuntiandum Euangelium Dei, quod promissum de Filio suo, illo inquam qui licet sit homo, simul tamen est Deus equalis Patri eiusque Filius naturalis; quod abunde innouit ex eius miraculis, virtute operandi interiorum renouationem, & potestate remittendi peccata, & virtute qua tum se, tum alios resuscitauit.

17.

Ex his deducitur ex praedicto loco Apostoli non videri solidum sumi fundamentum ad adstruendam propositionem de qua praefens dubium instituitur. Restat examinandum quid reipsa de praedicta quaestione probabilius videatur.

Duae haec de re possunt recenseri sententiae. Prior negat hanc propositionem in rigore esse veram. Durand. supra. Palud. eadem distinct. & quae artic. 2. quos sequitur Becanus de Incarnatione cap. 19. qu. 2. concl. 1. Tolet. in locum ad Rom. citatum. & in re ipsa idem tenet Lorca disput. 85. membro 3. qui citat pro se S. Thomam: referuntur & quidam alij.

Durand.
Palud.
Becanus.
Tolet.
Lorca.

2. Censet hanc propositionem, *hic homo est praedestinatus ut esset Filius Dei*, esse veram. ita Suarez sect. 2. citata. Vazq. disp. citata cap. 3. Cornelius in caput 1. ad Rom. & plures alij.

Affirm.
Suarez.
Vazq.
Cornel.

Ratio est quod, *hic homo*, in suo proprio conceptu non includat suppositum Filij Dei, sed solum dicat subsistens in humanitate, subsistens inquam hac vel illa subsistentia in confuso. Cum ergo hic homo nondum intelligatur subsistere subsistentia Filij Dei, potest dici ad eam praedestinatus, & per consequens praedestinatus ut sit Filius Dei: in qua propositione inuenitur subiectum prius ratione quam censetur illi aduenire terminus.

Confir. potuisset dici, *hic homo*, etiam si humanitas subsistit propria subsistentia vel subsistentia Patris aut Spiritus Sancti: cum ergo in tempore subsistat subsistentia Verbi, potest dici ad hoc praedestinatus.

Videri possit ea sententia confirmari auctoritate Augustini pluribus locis, ut Enchiridij cap. 40. ubi docet hominem nullis praecedentibus meritis verbo Dei copulatum in tantam personam & unitatem, ut idem

18.

ipse esset Filius Dei. simili modo loquitur cap. 15. de prædestinatione sanctorum, & cap. vlt. de bono perseverantia.

Verum quia August. in mysterio Incarnationis sapie uti solet concreto pro abstracto, ut loco citato Enchiridij; cum homo non fuerit copulatus verbo Dei in unitatem personæ, sed ipsa humanitas; item cap. 15. de prædestinatione sanctorum, ubi ait, hominem assumptum à Dei verbo; minus efficaciter ex illo hæc posterior sententia probatur, ut etiam aduertit Vasquez. Adde vltimum testimonium sumptum ex cap. vlt. de bono perseverantia ad rem non videri; quia aliud est hominem prædestinari ad dignitatem capitis, de quo agitur loco citato; aliud verò ad hoc ut sit Filius Dei, & prius potest esse verum posteriore existente falso.

Idem sentiunt de hac propositione, *Christus ut homo est prædestinatus ut sit Filius Dei naturalis.* videri potest S. Tho. art. sequenti in corpore.

Verum licet nos possimus præscindere hunc hominem vel etiam Christum ut hominem à determinata substantia, atque adeo concipere hunc hominem prius ratione quam concipiamus esse Filium Dei; id non videtur sufficere ut hic homo dicatur prædestinatus ut sit Filius Dei. Nam obiectum prædestinationis non solum à nobis, sed etiam à Deo debet saltem ratione præconceptionis terminari ad quem prædestinatur: quia, quando aliquid prædestinatur ad aliud tanquam ad terminum, ipsemet prædestinans debet præconcepere id quod prædestinat tanquam distinctum ab eo ad quod prædestinat, & ad quod ordinat. Porro Dominus Deus in Christo non præconcepit hunc hominem, neque abstrahit in hoc homine substantiam in confuso ab hac substantia, sed cognoscit determinatam substantiam; cum huiusmodi abstractio oriatur ex imperfectione nostra, ex qua fit ut rem inadæquate concipere possimus; quod nullo modo potest Deo convenire, qui vnamquamque rem vltimæ ad vltimum gradum determinatè cognoscit.

Vnde licet Deus cognoscat humanitatē Christi posse hæc vel illā substantia subsistere, cognoscat etiam futurū eundem hominem quacunque demū substantia subsisteret humanitas Christi; quia tamen non abstrahit substantiam in confuso à substantia per quā reipsā subsistit Christi humanitas, sed illam ipsam determinatè cognoscit; non cognoscit prius ratione hunc hominem in Christo quam hypostasim Filij Dei, & proinde non videtur posse dici prædestinasse hunc hominē ut esset Filius Dei; quamvis nos simplici apprehensione possimus concipere hunc hominem tanquam prædestinatum ad esse Filij propter rationem secundæ sententiæ.

Ex his concludo priorem sententiam videri probabiliorem.

ARTICVLVS III.

Vtrum prædestinatio Christi sit nostræ prædestinationis exemplar?

RESPONDET 1. non esse secundum ipsum actum prædestinationis: quia actus prædestinationis quem habuit Deus de Christo, non est causa ipsius actus quo nos prædestinat.

Respondet 2. prædestinationem Christi consideratam quoad ipsum effectum, esse exemplar nostræ prædestinationis, seu prædestinationis Christi passivæ sumptam esse exemplar nostræ prædestina-

tionis; quod etiam docent communiter Theologi, & patet ex Apostolo ad Rom. 8. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum prædestinatio Christi sit causa nostræ prædestinationis?

RESPONDET cum distinctione quā superiori art. vsus est, scilicet prædestinationem Christi quantum ad ipsum actum prædestinationis non esse causam nostræ prædestinationis; prædestinationem verò consideratam quoad effectum esse causam nostræ prædestinationis. Ut autem patet ex textu intelligit de causa meritoria. videri potest Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. & dicta q. 19.

QUESTIO XXV.

De adoratione Christi.

DVBIVM.

Quid sit adoratio.

DVBIVM hoc præmittitur ad commodiorem dicendorum intelligentiam; ad quod breuiter

Respondet adorationem hoc vel simili modo posse describi; quod sit honor exhibitus in protestationem nostræ submissionis, & excellentiæ alterius. Qui enim alterum adorat, id facit ex quadam aestimatione illius supra se, & ex affectu eandem excellentiam protestandi, genuflectendo, caput aperiendo &c.

Controversatur autem num ad adorationem propriè dictam requiratur aliquis actus externus corporis.

Affirmant aliqui. Vasq. lib. 1. de adoratione disp. 1. cap. 4. qui plures citat. Negant plures ab eodem relati cap. 2. item Suarez disp. 51. sect. 2. Lorca disp. 86. membro 3. Malderus de iustitia tract. 10. cap. 1. dub. 3. qui censent adorationem solis actibus internis exhiberi posse.

Quæ sententia videtur verior; cum ex scriptura habeamus Angelos Deum adorare; nihil autem cogat adorationem sumere improprie; igitur iuxta regulam receptam interpretum scripturæ, debet sumi proprie; & proinde adoratio proprie sumpta potest Angelis competere. 2. non videtur negandum quin Angeli possint veros humilitatis actus exercere; igitur & adorationis, cum actus qui sunt humilitatis, possint esse adorationis ex sola diversitate notii ex quo procedunt.

Et licet non omnes actus interni videantur apti ut in ijs adorationis ratio inveniatur, ut optime notat Lorca supra; nihilominus non videtur impossibile, quò minus dentur aliqua signa proportionata naturæ angelicæ, quibus Deum adorent; quamvis huiusmodi signa eorumque natura in particulari nobis sint ignota.

Quia excellentia propter quam aliquis honoratur & adoratur est varia, scilicet diuina & increata; item creata, eaque vel supernaturalis ratione donorum supernaturalium ut gratiæ, gloriæ, doni prophetiæ, &c. vel naturalis, ratione perfectionis cuiusdam naturalis, scientiæ, prudentiæ, potestatis cuiusdam civilis, &c. fit ut adoratio non sit vnius & eiusdem rationis; sed alia tribuatur Deo, propter

Resp.

22.

Sensus ref. pñionis D. Thom.

1.

Descriptio adoratio- nis.

Vasquez

Suarez.

Lorca.

Malder.

2.

Verius videtur adorationem solis actibus internis exhiberi posse.

Non omnes actus interni videntur apti ut in eis ratio adorationis inveniatur.

3.

Varie adorationis species.